



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 109. Rex Catholicus ab hoc fœdere a Galliarum Rege absterritus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](#)

Sæcul. XV. societati, dummodo ad Neapolitani Re-
A.C. 1501. gni conservationem tenderet, missurum
 se decem millia armorum, ductore Con-
 salvo de Corduba, eidemque in manda-
 tis daturum, ut simul ac Gallos Neapo-
 lim invasuros comperiret, ipsius eo con-
 tenderet. Fridericus huic promissorum
 amplitudini confisus, contraxit exerci-
 tum, qui facile septingentis constabat lan-
 ceariis, bis mille levis armaturæ equiti-
 bus, peditumque decem millibus, quas
 copias ipsem ad Regni sui fines condu-
 xit, ingenti tormentorum, ac annonæ,
 reique militaris apparatu instructus.

§. CIX.

*Rex Catholicus ab hoc fædere a Gal-
 liarum Rege absterritus.*

Marian. l. c. **H**ujus belli successus totius Europæ
Guicco. lib. 4 exspectationem mire suspensam te-
Surius app. nebat; ast priusquam armis res decerni
ad Nauci. p. cœpisset, Galli denuo Hispaniarum Regi
 537. de dividendo Neapolis Regno conditio-
 nes proponunt, easque longe ampliores,
 ac primæ fuerant, ut hac via illum a fœ-
 dere nuper inito abstraherent. Id con-
 filii Regi suggestit Cardinalis de Ambasias,
 qui, ut exitus responderet, nil intenta-
 tum reliquit, arbitratus, Regem Catho-
 licum, cum ejus imperio jamjam Sicilia
 pareret, si binæ Neapolitani Regni Pro-
 vin-

vinciæ huic Insulæ confines adjicerentur, Sæcul. XV.
haud cunctanter foederi renunciaturum. A. C. 1501.
Hunc in finem Albensis Episcopus Car-
dinalis frater in Hispaniam alegatur,
eiusque ministerio Ferdinandus ad acce-
ptandum foedus cum Ludovico XII. in-
ducitur. Vix tertia habebatur consul-
tatio, & jamjam de concordiæ pactis
agi cæptum est, quæ etiam in sexto col-
loquio absoluta fuerunt. Ergo utrinque
conventum, Terralaboris, & Aprutii Surita tom.
Provinciæ adjecto Ducatus nomine Regi 5. l. 4. c. 43.
Catholico traderentur. Firmato fœdere
quantocius ingens armorum apparatus
tam in Galliis, quam in Hispania instrui-
tur, ac re divulgata stupebant nonnulli,
quod ambo hi Reges sua arma sociarent,
atque amicitiam inirent, ut junctis viri-
bus Fridericum regno exuerent, in quo
tamen is nonnisi Hispanorum auxilio ad-
versus Gallos firmabatur; alii quoque in
animum inducere haud poterant, Regem
Catholicum eo prolapsum fuisse, ut Regi
sceptrum e manibus extorqueret, ad cu-
jus tamen conservationem paulo ante om-
nes suas vires dicasset. Nihilominus haud
deerant sua utrique Regi rationum mo-
menta, unde divulgatis edictis, quæ Guic-
ciardinus *integra* recenset, mutati consi-
lii æquitatem cunctis demonstrare cona-
bantur.